

(Vgl. Würdtwein: Dioecesis Mogunt. I. und Monast. Palatin. V. Franck: Gesch. d. ehem. R. Oppenh. Schneider 431—36.)

18. Nov.

181. Anno quo supra presencium baiulus comparuit in ecclesia regali Niehnhausen collegiate (!) s. Cyriaci Wormaciensis diocesis die Jouis, que fuit decima octaua Nouembris, in qua obierunt Johannes Kesler, Caspar Nell, Henricus Walck licenciatus vtriusque juris, doctor Petrus de Wesalia, Henricus Hanaw, Wilhelmus Riffenberger canonici, Johannes Ortenberg et Henricus Schure (?) vicarii. Petimus pia vestrarum orationum suffragia.

Das königl. Collegiatstift Neuhausen im heut. Grossherzogthum Hessen entstand aus der von König Dagobert hier erbauten Kapelle zu Ehren des hl. Dionysius, welche Bischof Samuel von Worms zu einer Kirche erweiterte, woran nach und nach ein Stift sich anschloss; 1560 wurde dasselbe säcularisirt, 1616 den Bischöfen von Worms zurückgegeben, von diesen in ein Waisenhaus verwandelt, 1793 von den retirirenden Franzosen angezündet und vernichtet. (Vgl. Mabillon, Annales II, 562. Gall. christ. V, 696. Schannat, Hist. Episcopatus Wormat. Schneider 426—31 und die weitere Literatur daselbst.)

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum
die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi, conscriptae
et a P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. I. h. ai. pg. 143—157.)

E novis Viennensibus: Die 2. Januarii 1743 Principem de Lobkowiz cum suis aliquot millibus militum ingressum et per omnes plateas, per quas transit in domibus Pragensibus musica prae gaudio intonuerit cum clamore continuo: Vivat Maria Theresia. Eodem die Galli Pragenses, et Bavari, quotquot erant sani jussi sunt Praga egredi, et re ipsa egressi sunt. Princeps Lobkowiz Generalem de Festertiz cum corpore militum iussit insequi fugientes Gallos, quorum ille permultos partim caecidit, partim captivos Pragam remisit, permultaque eorum impedimenta abstulit, et diripuit, incredibilia spolia et praedas nostri Hussari a Gallis fugientibus retulere, plurimis in via Gallis partim occisis, partim frigore enecatis repertis. Item Bohemi, quos Galli pro militibus secum abstulere, omnes fere deseruere, et ad nos fugere. Item Galli in fuga multa loca Bohemiae male tractant. Item scriptum Passavio, audito isto bono nuntio plurimum ibidem gaudium ortum fuisse, iustosque nostros milites invadere hostes, quod haud credo verum esse. Viennae Regina nostra cum suis aulicis dominabus genus ludi equestris habuit vulgo dictum Frauen Caroussel. Mirum hoc tempore faeminae Regiae aliisque foeminis id genus

exercitationis, alias virorum, tantopere arridere. Ipsa Regina bravium sua dexteritate cepit, quod illa uni alteri domicellae Comitissae de Palfi, quae post Reginam optime se gessit, cessit. Item Excelsum Regimen, aula permittente licentiam dedit Larvis, seu sub masques in quibusdam publicis domibus apud choreas et convivia utendi, idque sub certis legibus. Miror hoc, cum adhuc duret bellum.

E novis Viennensibus: Pragenses a Gallis et Bavaris liberati sollemne Te Deum celebrant, et urbem a sordibus repurgant. Hostes in arce et domibus ac hortis inexplicabile damnum causerunt. Bellisle in fuga obsides secum traxit, inter quos Comes de Pachta fuit, qui in itinere cholica e nimio frigore contracta in Einsidelen mortuus est. Galli fugientes multa horrea et villas igne absumunt. Eorum nuper 200 a nostris occisi, alii capti cum curribus 30 et 12 mulis, pretiosis rebus oneratis. Regina viam parat ex Schönbrunn in Laxenburg, et hospitale Hispanicum pro infirmis militibus Viennae ampliari jubet. Certum est Bellisium cum suis Egram venisse et in via a Praga usque Egram plurimos e nostris occisos et captos. Hispani in Delphinatu alium ducem nomine De las Minas loco istius Glimes nacti in Sabaudiam penetrare tentant, et Castellum Apremont, haud longe a Chambery situm, post virilem resistantiam occupant, quos Rex Sardiniae cum exercitu suo aggredi viriliter parat. Item e novis Gallicis Geneva scriptis dictum, Regem Sardiniae praecepisse incolis urbis Chambery, ut Hispanis claves civitatis offerant, et quod ipse se cum exercitu suo versus Monmelian receperit. Item Electorem Palatinum Rheni 31. Dec. 1742 obiisse anno aetates 81., et post ejus mortem Principem Sublacensem ejus status in possessionem accepisse. NB. Natus ille fuerat 1661. 4 Novembris nomine Carolus Philippus, duarum conjugum Polonicarum maritus, fuit frater Magdalenae Theresiae Uxoris Leopoldi I. Imperatoris, quem uti et duos fratres Trevirenses Electorem et Episcopum Augustanum, Imperatores Leopoldus et Josephus promovere, et tamen hic ultimus Elector Palatinus non acceptavit Sanctionem Pragmaticam, insuper copias auxiliares misit Bavaris contra nostram Reginam.

Item e novis Viennensibus, Gallos magno numero in Straubing mori, et a Gallis hominibus capi lectos, et grana et foenum ex horreis. Item ibidem mortalitatem pecorum esse. ~~Item ex Praga Gallos abiisse usque ad 1000, nostros autem milites, relicto Pragae praesidio, abiisse in Palatinatum superiorem, probabilius, ut Gallos inde ejeciant.~~ Pragae solemnissimum Te Deum in Cathedrali Ecclesia intonante hymnum Archiepiscopo, ~~ab liberatam ab hostibus urbem celebratur.~~ Commissarii a Regina nominati, qui in quorundam nobilium Bohemorum aliorumque acta, quae tempore occupatae ab hostibus urbis gessere, inquirere iubentur. Hispani in Sabaudia pro hybernis Chambery, Annecy, aliaque loca occupant, quibusdam dicentibus, Regem Sardiniae ob virium suarum imbecillitatem cum iis pacem iniisse, aut inducias armorum ad tres menses, nihil tamen certi constat de hac ejus inconstantia. Annona Viennae

iubetur in Palatinatum superiorem conveyi, in quo urbem Sublacensem, aliaque ejus Districtus loca Galli e Bohemia profugi occupant. Nostri quoque Hussari in Palatinatum superiorem penetrant. Quidam rusticus in Bremensi Ducatu moriens Ecclesiae suae 2000 fl. legat, nostrae vero Reginae 8000, alii habent 10000. Mirum cur hoc fecit hic homo. Galli in Bavaria adhuc in Januario magno numero moriuntur ita, ut insepulti relinquerentur, ut dictum est in novis Viennensibus, quod tamen non credo.

In novis Viennensibus recensetur pretium victualium durante obsidione Pragensi ac dictum, libram carnis bubulae 2 fl. 22 kr., vitulinae 2 fl., suillae 1 fl. 12 crucigeris constitisse item anserem 8 fl. vaccam 200 fl. bovem Hungaricum 400 fl., vitulum trium mensium 70 fl. ovum recens 27 crucigeris, cerevisiam quatuor urnis 20 fl., et cetera inaudita. Quidam Carmelita nomine Norbertus Engelhardt, in obsidione Pragensi existens, de caritate annonae in litteris haec scripsit 1 Apr 16 crucigeris venditum, libra equi occisi 9 kr. libra bubulae carnis 1 fl. 30 kr. anser 15 fl. gallina 5 fl. gallus indicus 24 fl. anas 6 vel 7 fl. vacca 230 fl. porcus 80—90 fl. bos 3000.

E novis Gallicis e Sabaudia, cum exercitus Hispanicus et Sabaudicus jam prope essent, ut confligerent, repente Rex Sardiniae de praecipuis locis suas copias abduxit ceditque Hispanis, et reliquas trans montes redire jubet, itaque Hispani intrant Sabaudiam et metropolim ejus Chambery. Infans Carolus ovans ingreditur, et arcem pro residentia occupat Te Deum cantante Episcopo Gratianopolitano. Hispanis dantur a Sabaudis victualia pro pecunia. Causam hujus subitanei eventus nemo satis penetrat. Postquam Hispani Sabaudiam cepere, Rex Angliae exhortatus est nostram Reginam, ut per novum tractatum sibi devinciat Regem Sardiniae eique duas provincias ipsi promissas cedat, alioquin Rex Angliae removebit classem suam a mari mediterraneo, et deseret rem italicam. Parisiis scriptum, gravem equitatum Gallicum e Bavaria in Donauwerdam abiisse, inde medio Martii in Alsatiam discessurum. Item Ingolstadtium grandia eorum tormenta deportata, et pars eorum militum in eandem viciniam migravit. Galli post adventum cursoris a duce Bavariae ad Comitem de Sekendorf missum incipiunt cum trepidatione ~~solite~~ majore se movere. E novis Viennensibus, in aula nostra varia recreationum genera haberi. Generalem Festetiz Egram circumdare per modum einer Bloquade. Croatae et Slavonici populi in nostro exercitu Italico numero 2500 domum redeunt, etsi duos Ducatos Generalis Traun singulis promiserit, ut usque ad Majum remaneant. Item causam esse, cur Rex Sardiniae reliquerit Sabaudiam Hispanis, uti Turino scriptum, quod exercitus Sardicus loco perquam difficile steterit tempore propter frigus incommodo, et patiens penuriam pabuli aliorumque necessariorum contra quod Hispani optime provisi fuerint e Delphinatu, et acceperint augmentum exercitus sui et quod Sardicus exercitus in bono ordine se retraxerit, ab Hispanis quidem in fuga varie invasus et repellens fortiter hostes suos et exurens comitatum bellicum magna ex parte. In Bavaria

leguntur novi milites ab anno aetatis 15. usque ad 40. In Moscovia multi rebellant contra Imperatricem eamque blasphemant, et calumniantur, qui tamen severe puniti sunt, quibusdam enim lingua exsecta, aliis aures amputatae et nares fuere, et sic quietas redditae. Marchio Fenelon Legatus Gallicus apud Batavos eos vehementer dehortatur, ne partes Reginae nostrae amplectantur, inter cetera dicens, si milites foederati in Belgio transgressuri sint Rhenum, etiam Gallos id facturos in auxilium Imperatori eodem petente. Item quod Rex ipsius retraxerit suum exercitum e Praga spe ineundae pacis cum Regina nostra et idem praecepisse Egrensis Gallis. In urbe Abo in Finlandia congressus pacis faciendae inter Moschos et Suecos institutus est. Cardinalis de Sinzendorf, Episcopus Wratislaviensis Berolinum venit Regi inserviturus, et apud duas Reginas coenavit.

Die 29. Januarii 1743 mortuus est Cardinalis de Fleury anno aetatis 88., Minister Regis Galliae et ejus quondam praeceptor, dictus Andreas Hercules suis pronominibus, obiit in Yssy, suo praedio, et paulo ante ipsum Dominus de Bretevil unus e praeceptis Ministris bellicis, apoplexia tactus post habitam cum hoc Cardinale conferentiam. E novis Gallicis: Kalikam Rex Persarum ad mare Caspium posita munimenta Russorum hostiliter aggreditur, contra quem Imperatrix Russorum magnum mittit exercitum. E litteris D. Rosenzweig, mercatoris Passaviensis haec excerpseri, in Passaviensi urbe 7 regimina nostrorum militum in praesidio esse, multam ibidem esse victualium caritatem, multos homines ibidem mori, interim Officialibus militum saltantibus ludentibus et comessantibus, et Gallos e vicinia nihil metuentibus.

E novis Viennensibus: Nostri milites in Bohemia sub Lobkowitz in Palatinatum superiorem penetrantes ibidem existentes Gallos de loco ad locum propulsant et fugant ita, ut totum fluvium Nab occuparint. Festetiz Egram cingit, et inde egressi quidam equites Galli a nostris Hussaris caeduntur, et partem captivantur. Gallorum ingens multitudo e Bohemia et Bavaria per Wirtenbergensem Ducatum et Palatinatum inferiorem in Alsatiam aliasque Gallicas regiones pergit.

Die 16. Februarii Viennam advenit Comes Antonius de Althan Generalis Adjutant Comitis de Traun, supremi Ducis nostri exercitus, conjuncti cum Pedemontanis, in Italia, et jucundum attulit nuntium Reginae de victoria, quam nostri de Hispanis in Italia prope fluvium Panaro in loco dicto Campo santo retulerunt die 8. Februarii. Regina statim in sua capella Deo gratias egit et jussit, ut in omnibus Monasteriis et Hospitalibus itidem Deo gratiae agerentur. Postea 18. Februarii cum 8 Postilionibus et uno Postae Magistro Viennam ovans intravit Comes Antonius de Colloredo, et Reginae relationem de hac victoria attulit; 24. Februarii Viennae habitum sollemne Te Deum laudamus pro ista victoria. E novis constat 4000 Hispanorum, tum occisorum tum vulneratorum tum desertorum desiderata fuisse, e nostris multi Officiales dicuntur occubuisse, numerus tamen additus non fuit. Hispani fugerunt ultra

fluvium Panaro usque ad civitatem Bononiensem, ubi se muniunt. In posterioribus novis dicitur, Hispanorum caesorum vulneratorum et captivorum certe ultra 5000 desiderari, inter quos aliquot Generales occisi, et permulti officiales; e nostra vero parte caesorum, vulneratorum, et captivorum, perditorum, ac desertorum ad summum 1600. In ultimis novis Viennensibus habetur adcurata lista omnium nostrorum militum et Sardinensium partim occisorum, partim vulneratorum, partim captivorum, et perditorum, cum equis, quorum haec est summa: Occisorum 425, vulneratorum 924, captorum 168, perditorum 103 universim 1620, equorum vero 448. Comes de Apremont, Dux copiarum Sardinensium, graviter vulneratus paulo post obiit. Item in novis Gallicis de hoc proelio exacta relatio Taurini impressa prodiit, quae convenit cum hac Viennensi quoad summam 1620, addit tamen, nostrum equitatum funditus eversum ab hostibus, et 5 Standart et aliquot vexilla nobis ab hostibus fuisse erepta. Hispani sibi adscripsere hanc victoriam, quamvis sese Bononiam usque recessisse ob defectum annonae fassi sint. Hispanici exercitus Dux dictus de Gages nuntius Regi Hispaniae eventum hujus proelii inter cetera notat, nostrum equitatum a suis militibus caesum penitus fuisse, et ad fugam compulsum, quod et relatio Taurinensis asserit. Addit praeterea Dux de Gages, nostris Austriacis et Sardinensibus erepta fuisse 5 Standart, duo paria tympanorum, et multos e nostris captos fuisse, quod postremum de captivitate nostrorum verum est, etiam e novis Viennensibus. Interim tamquam ob felicem eventum ex parte Hispanorum Rex Hispaniae jussit Te Deum in sua capella regia decantari, institui grandem Galla in curia et illuminationes fieri. Vide, quomodo quaevis pars sibi victoriam eandem adscripserit. Verius tamen est de hoc proelio, quod in nostris novis relatum est et Taurinensibus, nec ipse Gages dixit, se ex hac pugna victoriam completam retulisse. Patet etiam ex eo, quod Hispani Bononiam se receperint, et inde ulterius in Romandiolam quasi fugientes receperint.

Die 1. Martii per Postam hic transit Viennam Excell. Comes de Khevenhiller, dux exercitus nostri in Bavaria, interfuturus utique grandi consilio bellico apud Reginam de futuris operationibus bellicis suscipiendis, dixerat in domo Postae, dum rescisset nostri D. Abbatis praesentiam se eum visitaturum esse, si sibi liceret, diutius hic morari. Post paucos dies iterum ad exercitum Bavaricum rediit.

Milites tyrones, vulgo Recruten, per Austriam in Bavariam ad exercitum euntes non tantum victum apud hospites et incolas locorum, sed etiam pecunias pro rata cujusque parte acceperunt hoc anno eo, quod Domus Provincialis iis nullam pro itinere pecuniam dederit, probabiliter ob defectum pecuniae publicae, ob quam rem graviter questi sunt coloni et cives, apud quos diverterant milites, et multi dixere, se amplius hoc onus, nisi a domibus abeant, aut mendici fiant, sustinere non posse. Heu quanta tribulatio, et praesertim super Austriam nostram ob hoc bellum.

E novis Gallicis: E Gallia successive iterum veniunt novi milites

in Bavariam in subsidium Ducis Bavariae, uti ex Hungaria et Austria aliisque regionibus haereditariis ad ambos exercitus nostros Bohemicum et Bavaricum. Prima Martii in urbe Chambéry Sabaudiae ortum est incendium in palatio Philippi, Infantis Hispaniae, qui effracta porta ab uno milite, corporis custode, e lecto raptus, periculum evasit, postea enim totum conclave in cineres redactum fuit. Miles ille in remunerationem fidelitatis suae 1000 Pistoles, et unam Cohortem Equitatus ab Infante accepit. Item Hispani transitum petunt a Genevensibus et Wallisensibus in Italiam, qui tamen negatus fuit. Genevenses pro securitate suae urbis ab Helvetiis sibi foederatis magnum militum numerum accipiunt. Secunda Martii Dux Clemens, filius defuncti Ferdinandi Ducis Bavariae, qui est frater moderni Ducis Bavariae, dicti Imperatoris, cum sua conjugē Monachium venit et quarta post die ejus mater vidua. Etiam ante plures dies quaedam filiae Imperatoris in eandem urbem advenere. Monachio scriptum de nona Martii, quotidie e nostris militibus Austriacis 10 aut 12 ad Bavaros defecisse, eorumque servitia iniisse, quod vix credo. Ex iisdem novis Gallicis Vienna scriptum: In Martio Viennae detectus fuit conventus hominum, quos vocant die Freimaurer, et reperta sunt in loco conventus quaedam scripta, sellas et 3 candelabra argentea, quae omnia ipsis vi ablata sunt, omnes statim detenti fuere, partim ex magna nobilitate partim ecclesiastici, et alii quidam; 30 eorum, eo quod fuerint ut dicitur, quidam Principes, Comites et Barones domi suae arestati et custoditi fuere, reliqui in custodiam dati. Repertum est apud illos protocollum, cui 600 inscripti reperti fuere, quidam fuga sibi consulere. Proh nefas! haec secta pluribus Europae regnis diffusa est et a Clemente XII. eorum societas et institutum excommunicata fuit, ut ipse legi Bullam excommunicationis. In novis Gallicis nominati fuere plurimi, et speciatim Austriaci, nobiles Comites iuvenes. Regina omnes hos homines libertate donavit simul prohibens sub poena cassationis hujusmodi conventus. Horum hominum institutum praecipuum erat, primo, ut abundant pecuniis, secundo ut omnibus hominibus amabiles sint et accepti, tertio ut noscant secreta hominum; haec in eorum scriptis reperta fuere, ut Cancellarius supremus D. de Uhlefeld Comiti Auersperg ad S. Leonardum ostendit, et ego accepi a Capellano ad S. Leonardum. certissimum est.

E novis Viennensibus. Rex Angliae 12000 Helvetorum conscribi facit, ab eo sustentanda et mittenda in auxilium Regi Sardiniae. Exercitus Anglicanus cum Austriaco nostro, relicto Belgio, in Ducatum Juliacensem et Archiepiscopatum Coloniensem migrant, omnia accurate solventes et bonam disciplinam tenentes, exspecto, quo fine et consilio.

10. Aprilis Reverendissimus D. Abbas in Prioratu coram senioribus proposuit, Reginam 40000 fl. petisse a Monasteriis Mellicensi, Gottwicensi, Zwetlensi, et puto ab uno adhuc alio, et promisit, se haec Monasteria liberaturam ab onere alendi canes venaticos eorumque curatores. Noster D. Abbas nobis non contradicentibus promisit, se daturum mille aureos. Eodem die dixit, quamdam Dominam divitem Viennensem natam in Protes,

ecclesia filiali, ad parochiam nostram Weikendorffensem pertinente, se obtulisse pro mille imperialibus ad fundandum sacerdotem pro Ecclesia Protensi, ut in ea singulis dominicis et festis Missa celebretur, cum antea tantum in quibusdam festis et Dominicis per annum Missa ibidem fuerit habita. Etiam non opposuimus nos, et primus Vicarius ad eam nominatus fuit P. Gerardus, meus quondam Novitius.

Item in Martio Regina nostra jussit visitari omnia granaria per Austriam, et quo carere poterant eorum domini, id Reginae venderent, quod et factum est, praecipue in avena. Tempore veris maxima vis annonae per aquam ad exercitum nostrum Bavaricum devehitur, uti et victualia per currus. 20. Aprilis me spectante in navibus aliquot ultra 800 Gallis in Bohemia a nostris capti, in Hungariam abducendi Danubio transvecti sunt, tempore valde frigido et nivoso, cum quibus Viennam venientibus Regina nostra misericordiam habuit, aegros et vulneratos mediis necessariis curando, valde autem debiles in nosocomia translati, e quibus mortui aliqui sepulti fuere, reliqui in Hungariam abducti.

E novis Viennensibus: 17. April Viennae praesentati sunt 26 Officiales militares voluntarii Prussici Reginae nostrae per Regis Porussiae legatum Comitem de Dhona, qui apud nostros exercitus militabunt. Eodem die post prandium abiit Pragam Archiducissa Maria Anna, filia Reginae nostrae, ejusdem coronationi Pragensi adstitura. 25. Regina nostra M. Theresia cum conjuge suo et comitatu Vienna per Postam abiit media septima, tormentis bellicis explosis, Praegae coronanda, et hora secunda pomeridiana Znomyam salva advenit. Citati quoque 6 comites Bohemici, nimium studiosi Bavarorum et Gallorum, et Barones quinque, alique Bohemi, ut intra terminum ipsis datum compareant; ni fecerint, sententiam in eos iure ferendam. Comites erant 2 de Bubna, unus de Kaiserstein, unus de Kolowrat, unus Laschansky de Bukowe, item unus de Mansfeld. 29. Aprilis Regina cum conjuge suo sedens in curru ingressa est Pragam, et honorificentissime a Pragensibus excepta fuit, summoque gaudio, et in Ecclesia Metropolitana Pragensi ab Episcopo Olomucensi Comite de Liechtenstein, loco Archiepiscopi Pragensi disgratiati, aspersionum accepit, qui et ipsam 12. Maji coronabit, jussi quoque multi, et nobiles etiam quaedam feminae, urbe egredi, qui ante nimium favebant Bavaris et Gallis.

27. Aprilis venit in Monasterium nostrum R. P. Sebastianus Jenig, Jesuita, et Superior Patrum Castrensi in exercitu Bavarico, qui hyberna sua habuit in Hungaria, partim in Collegio Jaurinensi, cujus Rector erat P. Philippus Pez, frater meus, de quo multam salutationem mihi attulit, partim in pago quodam, pertinente ad dictum Collegium. Is citatus perexit hinc 28. post prandium ad exercitum nostrum Bavaricum.

E novis Viennensibus: 22. Martii Helveti adhuc cum Genevensibus foederatis suis constanter negant transitum per vallem Waliser Land Hispanis, eo ductis militibus 20000. E Carpi ex Italia scriptum, per multos ex Hispanico exercitu desertores eo advenire numero fere 2000, e quibus Germani servitia apud nostros acceptant. Bologna scriptum,

Hispanicum exercitum sub duce suo Gages post proelium apud Campum sanctum se recepisse usque Rimini. Interea nostri in Ducatum Ferariensem irrumpunt, Hispanos persecuturi. Noster exercitus Belgicus cum Anglis et Hannoveranis Coloniae, Antunaci, aliisque in locis Rhenum transierunt, e quibus primi 11 Aprilis tantum 6 milliariibus a Francofurto ad Moenum distant. Hinc fama est, Carolum VII. Ducem Bavariae decrevisse, Francofurto cum suis discedere, et paulisper Augustae Vindelicorum substiturum; imo nostri cives a nundinis Lincensibus venientes narrant nobis e litteris Monachio scriptis, se didicisse, praedictum Ducem Monachium iam venisse, et a suis summo cum gaudio receptum. E novis Viennensibus Monachio scriptis: Dux Bavariae, dictus Carolus VII. Imperator, Francofurto Monachium rediit 19. Aprilis biduo itineris, et altera die ejus filius, metu utique Anglicani exercitus et nostri Belgici, qui jam Francofurto appropinquabat, dudum trajecto Rheno. Item in Bavariam pergunt nostri milites Croatae, Banduri, Dalmatae, Lycani, Maroschenses, alique regulares confinium milites, vulgo regulierte Gränz-Miliz, numero 30000. Item Menzlius colligit copias Carabiniers dictus, lectissimis hominibus constantes, quos ille contra Bavaros commendabit, una cum 4000 Hungaris equitibus levibus.

(Continuatur.)

Marienlegenden.

Von P. Otto Grillnberger Ord. Cist.

Nachstehende Marienlegenden finden sich in einem Doppelblatte, einem Bruchstück einer Pergamenthandschrift in der Wilheringer Stiftsbibliothek. 22 Cm. lang, 15 Cm. breit, enthält dasselbe auf jeder Seite 45 Zeilen in Schriftzügen des XIV. Jahrhunderts. Bl. 1^a beginnt mitten in der IX. Legende, die folgenden Legenden füllen Bl. 1^a, 1^b, 2^a und zum Theile 2^b aus. An sie reiht sich ein »Sermo de angelis« mit dem Anfange: »Angelus tria facit homini: ostendit ei iudicium, infert dolorem, manifestat mortis diem.«

.. cooperante sancta Dei genitrice Maria¹⁾ et mox obtinuit, ut anima eius rediret ad corpus, quatenus, quod rapuerat, redderet et de peccatis poenitentiam ageret vivens triginta diebus. Interea dum duceretur idem Stephanus²⁾ ad locum Judae³⁾ traditoris, ut iudicaret Dominus, audivit⁴⁾ voces quasi plangentium animarum in poenis⁵⁾ positarum, inter quas agnovit Petrum⁶⁾ fratrem suum, ad quem approximans dixit ei: quomodo, frater, in poenas ductus es? at⁷⁾ ille: ideo adductus huc sum, quoniam aliquantulum avarus fui,

¹⁾ Maria] *maria* die Handschrift, wie auch sonst. — ²⁾ Stephanus] *stephanus* d. Hs. — ³⁾ Judae] *Jude* d. Hs., wie auch sonst e für ae. — ⁴⁾ über audivit aloge von 2. H. — ⁵⁾ poenis] *penis* d. Hs., wie auch sonst e für oe. — ⁶⁾ Petrum] *petrum* d. Hs. — ⁷⁾ at] *ad* d. Hs. -